



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et  
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs  
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1664**

Quæst. 2. Quid sit spatium locale, quod imaginarium vocatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](#)

Litus sine restituata, ut feso hominis sine homine, sedente, &c. quām, ut detur actio sine agente, & termino, uno sine extremis unitis, passio sine subiecto patiente, &c. Esset autem possibile de potentia Dei absoluta, si esset possibile praesentia, & consequenter figura, situs ut feso, &c. qua non esset modus, sed res, ut constat: siquidem accidens, quod media superaddita unione, vniuit subiecto, benè potest de potentia absoluta subsistere separatum ab illo. Tertio: quia per presentiam sibi uitam mediā interiectā vno-  
ne non fit quidpiam spacio, cui talis præsentia respondet: alias humanitas Christi domini vnta immensitati Dei non posset non-  
vbiique esse, quod est absurdum: &, quidquid est vnitum rei alicubi præsenti, non posset non-  
esse præsens ibidem, ut pote vnitum saltē me-  
diatā præsentia illius, quod plus, quām fallit  
esse, ex dicendis constabit. Igitur fieri aliquid præsens alicui spatio nisi à præsentia, quæ sit modus immediate afficiens se ipso id, quod fit præ-  
sens, provenire non potest. Quartò: quia negari nequit, esse possibilem præsentiam facientem suum subiectum præsens spacio, quæ sit modus eius. Ergo impossibilis est præsentia idipsum præstans, quæ sit res: effectus enim, formales modi, & rei non possunt non esse diuersi, ut alibi ostendo; & satis ex se apparet: proindeque idem effectus formalis à modo, & à re nasci non potest. Hæc satis pro sententiā communi. Quæ autem pro sua assert Arriaga à paritate aliorum accidentium, quæ non sunt modi, non vrgent. Negamus enim paritatem. Et quidem ab eadem paritate posset intendere, actionem, passionem, vnonem, & alia huiusmodi, quæ circa omne dubium sunt modi, modos non esse.

## Propositio 4.

25 Possibilem censeo rem siue substantialem, siue accidentalem, quæ se ipsa sine alia præsentia à se distincta sit præsens alicui spatio locali; atque adeo ei essentialiter affixa.

Primo. Quia in tali re nulla cernitur contradictionis implicatio. Secundò. Quia prædicta in varijs entibus dispersa, in eodem possunt identificata inueniri, quando inter se non sunt opposita, ut satis ex se videtur notum. Multa autem sunt aliorum entium prædicta, quæ prædicto vocationis nullatenus opposita sunt. Et quidem Deus se ipso absque præsentia superaddita est præsens omni spatio. Ergo effectus formalis præsens alicui spatio à forma identificata cum re præsente nasci potest; ut & in ipsa præsentia locali nostra cernitur, quæ se ipsa est spacio præsens. Quid-  
ni possibilis erit creatura, quæ per prædicatum præsentia cum alijs identificato spatio lo-  
cali præsens  
fiat?

## QUÆSTIO II.

*Quid sit spatiū locale, quod ima-  
ginarium vocatur.*

Inter Philosophos antiquos, qui, huiusmodi 26 spatiū locum esse, dicebant, quales fuerunt Stoici, Epicurei, & alij quæst. 3. referendi, quidam putarunt, teste Soar, disput. 51. Methaph. sect. 1. & Conimbric. lib. 4. Physic. cap. 5. quæst. 1. artic. 2. esse illud ens quoddam incorruptibile, & æternum, ac prorsus immobile, intra cuius si-  
num tanquam intra receptaculum quoddam  
reale, & verum cætera cuncta recipiuntur, seu collocantur. Quam sententiam nouissimè de-  
fendit Petrus Gassendus in suâ Epicureâ Phi-  
losophiâ tom. 1. à pag. 605. per multas se-  
quentes, vbi saxe dicit, huiusmodi spatiū,  
esse rem quamdam æternam, immobilem, &  
incorpoream, quæ tamen neque est substanc-  
tia, neque accidens: (non enim diuidi ens  
verum, & reale adæquate in substantiam,  
& accidens, sed insuper in locum, & tem-  
pus); sed interuallum, intercedendo, spatiū,  
sive spatiales dimensiones reuera, & indepen-  
denter a nostro intellectu habentes esse à parte  
rei. Communis tamen reliquorum Philosopho-  
rum, præsertim recentiorum, sententia est,  
spatiū, quod imaginarium vocatur, nulla-  
tenus esse quidpiam positum à Deo distinctum,  
& actu existens à parte rei; tamen si à nobis ad  
instar cuiusdam actualis extensionis concipiatur.  
Ita sentiunt Soar, Conimbr, supra Petrus Hur-  
tad. disput. 14. Physic. sect. 2. Arriaga disput. 14.  
Physic. sect. 3. Oviedo controverst. 15. Physic.  
punt. 2. Franciscus Alphons. in Physic. di-  
sput. 22. sect. 2. Cardinal. de Lugo. tom. de Sa-  
crament. disput. 5. de Eucharist. sect. 6. Spinula  
disput. 10. Physic. sect. 1. Carlet. disput. 33. Physic.  
initio, Lynce lib. 7. Physic. tract. 1. cap. 2. & alij  
communiter. Quorum multi nihilominus di-  
cunt, spatiū locale, dictum imaginarium, non  
merum signum, sed realem quamdam capa-  
citatem esse (putat realitatem, non existentiam,  
sed essentiam) consistentem in possibiliitate cuius-  
dam localis præsentia circumquaque in infinitum  
extensis. Nonnulli vero sequuti Lessum lib. 2.  
de Perfect. diuinis. cap. 2. dicunt, spatiū loca-  
le à parte rei esse ipsam immensitatem Dei in-  
finite circumquaque diffusam, & virtualiter  
diuisibilem. Alij censem, consistere illud in  
negatione chymæra vbiique necessariò existente.  
Alij, ut Carlet. supra. sect. 2. in negatione non  
tollibili vocationis realis constata ex negationi  
bus omnium vocationum extensiù possibilium,  
ut vbiique sit non tollibilis, seu necessariò ex-  
istentis; eo quod negationes singulae singularum  
vocationum inde sunt tollibiles, vbi vocationes,  
quas negant, possunt existere: aggregatum vero  
omnium omnino necessariò est vbiique diffusum.  
Alij denique existimant, spa-  
tiū prædicatum merum fig-  
mentum esse absque vi-  
lo fundamento  
reali.

## Propositio 1.

27 Spatium, quod imaginarium appellant, non est aliquid positivum reale, & verum actu existens à parte rei, realiterque distinctum à Deo.

Probatur. Quia eiusmodi spatium ex suo conceptu, ut fatentur omnes, extensio quædam est quoquaversus infinita, immobilis, incorruptibilis, & eterna. Sed tale quid à parte rei nondatur distinctum à Deo existens, ut fides docet: secundum quam cuncta, qua sunt à parte rei existentia, & distincta à Deo, ab ipso in tempore facta sunt. Ergo tale quid ens quoddam rationis supposititum est existens in mente, & imaginatione nostrâ dumtaxat; tametsi cum fundamento in re, ut mox explicabo.

28 Respondet Gassendus pag. 616. non vide ri inconveniens, admittere tale quid à parte rei improductum, & independens à Deo, utpote quod non est in genere entium productibilem, à Deo que proinde pendente; quandoquidem Doctores Theologi passim docent, rerum essentias aternas, atque improductas, & à Deo independentes esse; quod intolerabilius videtur. Fallitur tamen, me quidem iudice, Auctor iste; quia assertere, rerum essentias esse aternas, & improductas, & independentes à Deo, quo sensu assertuntur à Theologis, nihil derogat fidei; tantum enim volunt, esse quædam veritates quiditatis, & obiectivas ad rerum essentias spectantes semper, atque adeo ab eterno per veri iudicabiles, & enuntiables per veras propositiones independenter ab eorum existentiâ actuali; & consequenter à nutu voluntatis diuinæ, ut fuis explicatum est à nobis in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 1. At ens quodpiam reale, & actu existens concedere improductum, & independens à voluntate Dei, ab ipsoque Deo distinctum, quale Gassendus putat esse spatium locale, non video, qui fieri possit, ut non sit contra fidem.

29 Ratione etiam naturali ostenditur, tales ens repugnare. Quia, quidquid existit, & non ab alio tanquam à causa, hoc ipso est primum, ens, fons totius esse, atque adeo undequeque, & essentialiter infinitum, & unicum, & Deus, ut ex cursu huius Operis, & præsertim ex disput. 14. constabit. Ergo impossibile est ens existens independenter ab alio tanquam à causâ, quod sit reale, & verum, & non sit Deus, quale ponitur à Gassendo spatium locale.

## Propositio 2.

30 Independenter à conceptione, sive, imaginatione nostrâ consistere, dicendum est, spatium locale in possibiliitate reali, & verâ præsentiarum verorum entium sine fine circumquaque extensarum; quæ subinde possilitas capacitas quædam realis talium entium venir vocanda, non quidem realitate existentia, sed realitate essentia, seu quiditatis, seu possilitatis iuxta doctrinam vniuersalem de statibus rerum traditam in Pharo Scient. disput. 10.

Ita tenent re ipsâ, aut etiam loquuntur multi ex præcitatibus Doctoribus, & satis congrue. Quia, cùm sit de essentiâ huiusmodi præsentiarum, prædictam existencionem infinitam quoquaversus confidere, quemadmodum illam verè consicerent existentialiter, si existerent; itâ modo verè conficiunt quiditatis, seu possibiliter, quatenus verè sunt possibles unaquaque in gradu suo, & non in alio, etiam, dum non existunt. Verèque proinde huiusmodi earum possilitas capacitas quædam realis est omnium verorum entium, quæ cum huiusmodi extensione unumquodque in suo gradu per tales præsentias locari posunt, sive præsentia reddi. Realis, inquam, non realitate existentia, sed realitate essentia: quo pacto realis capacitas, atque adeo etiam reale spatium dici potest.

Caterum, quia huiusmodi realis capacitas, 31 realisve possilitas præsentiarum sine fine circumquaque extensarum, seu componentium extensionem circumquaque infinitam connatur. Assimili apprehenditur, sive concipiatur à nobis per speciem cuiusdam magnitudinis ab omni ente permeabilis, seu penetrabilis, atque eternaliter, & immobilitate existentes, spatium imaginarium, dum sic concipiatur, dici solet: quia tale, quale nobis per talem speciem appetit, re ipsâ non est. Quo iure etiam, dum negationem concipiimus per speciem rei positivâ, & quod re ipsâ non est actus, neque relatio formalis, per speciem actus, aut relationis, obiectum quoddam imaginarium dici posset concipi à nobis. Vnde sicut, cùm concipiimus negationem per speciem entis, & quod in se est absolute, per speciem relatum, entia quædam rationis facimus non ficta, sed supposititia, iuxta doctrinam statutam in Pharo Scient. disput. 12. quæ, quod per tales conceptus intendit intellectus cognoscere, veritates quædam reales sunt, absoluteque proinde dicimus concipere veritates reales; quia fundamenta vnde sumuntur, seu potius pro quibus substituuntur prædicti conceptus, realia sunt. Ita, cùm prædicam capacitatem possilitatemque præsentiarum per prædictam magnitudinis iam actu extensæ speciem concipiimus, ens quoddam rationis facere dicendi sumus, non fictum, sed supposititum: quia id, quod per talem conceptum intendit intellectus noster cognoscere, veritas quædam realis est, nempe capacitas, seu possilitas ipsa. Absoluteque proinde dici etiam potest, concipere nos eo conceptu aliiquid reale; nempe capacitem, sive spatium, quod, licet formaliter sumptum, prout nobis per eam speciem appetit, sit quid rationis modo dico, fundamentaliter tamen sumptum, prout in se se habet, quid reale est, non quidem realitate existentia, sed realitate essentia. Ex quibus appetit, quo sensu spatium locale reale quid, & quo sensu quid imaginarium veniat dicendum.

Aduento tamen, aliter, quâm per prædictam speciem, posse prædictam possilitatem, aut quiditatem præsentiarum, quam spatium reali realitate existentia dicimus, concipi à nobis. Si tamen aliter concipiatur, conceptus obiectus eius non euadet idoneus, ut euadit ille, quem per prædictam speciem formamus, ut nobis sit loco mensura, qua mensuramus rerum præsentias, & in ordine ad quam dignoscimus earum distantias, contiguitates, penetra-  
tio-

tiones, &c. Tantum interest eamdem veritatem obiectuam per hanc, aut per aliam speciem, sub isto que, aut alio conceptu concipi à nobis. Quod & in alijs materijs cornere est. Si enim concipias quantitatem per speciem cuiusdam entis non implicans contradicitionem, atque adeò producibilis; vtique sub tali conceptu non poterit tibi seruire loco mensuræ ad alias quantitates metiendas: bene tamen, si illam concipias per speciem cuiusdam lineaæ tanta extensionis, aut cuiusdam superficie tanta extensionis, & talis figurae, aut cuiusdam solidi tantæ etiam extensionis, & talis figurae. Sic, si concipias possibilitatem, aut quiditatem præsentiarum, seu potius præsentæ totalis ex eis composita (quam dicimus spatiū reale realitate esistentiae) per speciem cuiusdam entis non implicantis contradictionem, & producibilis à Deo; certè tibi sub hoc conceptu deseruire non poterit ad mensurandas, & cognoscendas præsentias rerum, earumque distantias, propinquitates, penetrations, &c. Bene tamen, si illam concipias, uti concipitur, cum cadit sub hoc nomen spatiū locale, per speciem cuiusdam magnitudinis actu existentis, prorsus continua, quoquaversus, & circumquaque infinitè extensæ, quoad longitudinem scilicet, quoad latitudinem, & quoad profunditatem, ab omnique ente penetrabilem, qualis profectò prædicta totalis præsenta re ipsa est præcisè per se considerata absque omni alio ente, non quidem existentialiter, vt concipitur, sed quiditatiue, & essentialiter.

33 Deinde est etiam aduentendum, spatiū locale non consistere re ipsa in capacitate, seu possibilitate omnium præsentiarum possibilium, sed earum præcisè, quæ satis sunt ad componendam suapte essentiæ extensionem circumquaque continuam, & infinitam, expertemque omnis quasi intensionis. Vnde, cum in quoquis gradu seriei extensionis præsentiarum possibles sint infinitæ alia præsentæ suapte essentiæ inter se penetratas, atque adeò nullam inter se comparatae facientes extensionem, sed quamdam veluti intensionem, vt suprà quæst. I. proposit. 2. dicebamus; indeque hat, possibles esse infinitas quoad multitudinem præsentias totales inter se penetratas, quarum singulæ sunt circumquaque infinitæ quoad triam extensionem; putandum non est, spatiū locale re ipsa in possibilitate consistere omnium istarum præsentiarum. Constat namque vel in unica sola earum vagè vlpata, vel in conceptu extensionis omnium ab omni earumdem intensione præciso. Ita quidem, vt spatiū locale compositum sit dumtaxat quoad extensionem, camque continuam, & infinitam, quoad intensionem verò penitus simplex; atque adeò quoad extensionem sit divisibile, quoad intensionem verò minimè, sed penitus indiscretibile; quale etiam à nobis concipitur eo conceptu iam exposito, sub quo spatiū imaginarium vocatur.

34 Ex quibus omnibus concluditur; quæcumque de rerum præsentij assūrare solemus relate ad spatiū locale, prout illud nos imaginamus, vt, quod hæc, & illa præsentia, & res, quas afficiunt, penetrantur in eodem spatio; quod talis res in tali spacio existit, in eo ve vbiatur, seu præfens est; quod penetratur, quod adæquatur cum illo; quod est contigua spatio immediato; quod, prout in hoc spatio existit, tantum distat ab illo, &c. quæcumque, inquam, ita dicimus,

perinde esse vera, ac si spatiū locale ita se habere à parte rei, vt à nobis concipitur. Quia in huiusmodi loquutionibus tum huius materia, tum aliarum non tam attenditur ad conceptus suppositios, quos noster intellectus format de rebus, quam ad fundamenta realia, & vera, vnde illos sumit, seu potius pro quibus cognoscendis illos substituit iuxta doctrinam generalem traditam in Pharo Scient. disput. citat. atque etiam alibi. In hac autem materia à omnes hasce loquutiones fundamenta realia præbent tum quiditas præsentiarum, in quibus prout possibilibus spatiū locale re ipsa consistit, capacitasque subinde quædam eorum est, tum quiditas præsentiarum existentium, qua cum illis, cum capacitate ve confata ex illis comparatur aliquo ex dictis modis.

Quæ cum ita sint; infero primum, neutrum 35 dicendum esse spatiū locale in immensitate in trinsecè Dei reipsa consistere. Tum quia cogitatio hæc aliena est prius à mente pene omnium. Theologorum celebri quæstione inquirentium, utrum Deus sit in spatio imaginario extra Cœlum; qua quæstio nugatoria est, si spatiū imaginarium est Deus ipse: ino & à mente omnium Philosophorum passim dicendum de unaquaque, esse eam in hoc, aut in illo spatio locata, aut esse eam ab hoc, vel ab illo spatio distantem. Cum tamen nemo unquam putaverit, aut imaginarie, nedum asserere, potuerit, esse rem aliquam locaram in Deo, vel distantem ab ipso. Tum quia immensitas intrinsecè Dei omnino est indiscibilis, etiam virtualiter, vt ostendemus disput. & consequenter penitus inextensa intrinsecè. Constat autem spatiū locale diuisibile, & extensum esse debere. Tum denique quia ab spatio locali haber semientrinsicè Deus esse circumquaque infinitè extensum, prout explicabimus disput. Nequit igitur esse Deus entitatem ipsum spatiū locale.

Secundò infero, spatiū locale re ipsa in nullà negatione entis aut impossibilis, aut possibilis posse consistere. Tum quia titulus existentia actualis negationis, cui Adversarij nituntur ad constitendum in illa spatiū locale, nullus est; siquidem negatio nullum esse actuale habet: cum non in esse, sed potius in non esse, consistat, prout latè in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3. expostum est. Tum quia negatio vel ea ratione, qua per quamdam æquivalentiam dici potest existens iuxta dicta ibidem, nequit ratione sui esse extensa, prout requiritur ad spatiū locale, sed tantum ratione extensionis positiva, quam remouet: atque ita in quiditate huius, quando est possibilis, potius, quam in ipsius negatione dicendum est re ipsa consistere spatiū locale. Dico, quando est possibilis: quia, cum spatiū locale debeat esse quædam capacitas, & consequenter possibilitas extensionis localis, in extensione impossibili nullatenus potest consistere. Vnde pater, negationem extensionis impossibilis dupliciti titulo non posse esse spatiū locale. Primo: quia non habet extensionem ratione sui. Secundò: quia extensio, quam remouet, inepta est ad spatiū locale. Negationem verò extensionis possibilis tum primo ex dictis duobus titulis; tum insuper alio non posse esse spatiū locale: quia scilicet non est necessaria, seu non tollibilis, prout debet esse spatiū locale; cum possit per ipsam extensionem possibilem, quam remouet, penitus tolli, vt contra Carleton ostendetur.

mus infra quæst. 9. Vbi etiam monstrabimus, negationem entis seu possibilis, seu impossibilis omnino inextensi nullatenus extensam esse; atque adeò eo præterea titulo esse illam ad spatiū locale prorsus ineptam. Denique nulla negatio potest esse spatiū locale i quia nulla negatio est capacitas extensionis positivæ qualis debet esse spatiū locale, ut satis superque est per se notum; & quia nulla negatio est idonea mensura extis positivi, qualis est omnium locabilium spatiū locale; cùm potius omnis negatio ē contra per ens positivum metienda veniat, qua ratione potest negatio cadere sub mensuram.

37 Iam verò, capacitatē, seu possibilitatē localis extensionis, in qua ponimus reipsā spatiū locale, non esse quidquam actu existens reipsā, nequitum debuisse mouere, vt mouit Carleton & alios adhuc, vt derelicta sententiā communī, consugerent ad querendum illud in negationibus. Quia ad hoc, vt nos cum veritate loquamur, vt sāpe loquimur, quasi supponentes esse spatiū locale aliiquid actu existens; sat est, quod ita illud imaginem, & quod reverā sufficiunt fundamenta, qua huiusmodi loquitionum sunt verificatiua iuxta doctrinā habilitatē numer. 34.

38 Tertiō tandem infero, spatiū locale, quod imaginariū vocamus, non esse merum signum ablique reali fundamento confidū: atque adeò, non esse ens rationis sicutum, eti si ens rationis suppositū sum pūcum formaliter habens pro fundamento reali capacitatē, seu possibilitatē extensionis localis, sive præsentia localis extensio circumquaque infinita, prout satis superque constat ex hac tenus dicitis.

### QVAESTIO III.

*Quid sit locus, seu potius quid venias  
hoc nomine nuncupandum.*

39 E Tenim, suppositis dīcis in primā, & secundā quæst. hæc quæstio tertia dumtaxat de nomine eis. Stoici, Epicurei, & alij ex Philosophis antiquioribus spatiū illud, quod nos imaginariū vocamus, quodque privatum corpore, inane appellabant, repletum corpore ipsius corporis locum esse dixerunt. Quam sententiam sequuti sunt præterea Empiricus, Straton, Lampsacenus, Syriacus, Galenus, Philoponus, & alij, vt referunt Comimbric. lib. 4. Physic. cap. 5. quæst. 1. art. 2. & Petrus Gallendus pro eadē nouissimè stans tom. suo 1. Philosophia Epicuri pag. 614. & sequentibus.

Aristoteles verò lib. 4. Physic. cap. 4. docet, locum esse Circundanii corporis extremum immobile primum. Quem omnes Peripatetici tequuntur sūt. Vnde illa vulgaris definitio loci manauit, Est ultima superficies corporis continentis immobile primum. Dicitur corporis continentis primum, ad excludendas ultimas superficies aliorum corporum maiorum, quæ non immediate, sed remotè, atque adeò veluti secundari continent locatum, & locum. Dicitur etiam superficies immobile iuxta communem expositionem, præfertim Recentiorum, vt significetur, ultimam superficiem corporis continentis, seu circundan-

tis locatum, non vñcunque esse locum eius, sed reduplicatiuē vt præsentem in tali spatio, quo pacto ratione præsentia immobilitas est. Et quo patet, locum iuxta sententiam istam ex duobus necessarii componi, ex superficie scilicet ultimā corporis continentis, & ex præsentia eius in tali spatio, à qua habet, vt sit immobilitas, qualis locus esse debet iuxta sententiam omnium; alioquin posset locatum prorsus immotum mutare loca, aut non mutando loca moueri. Quod vñrumque reputatur absurdum. Vnde, stando in hac sententia, vulgo colligitur ad identitatem numericam loci neque requiri identitatem superficie ambientis, neque identitatem præsentia eius, sed solam identitatem spatiū localis eiusmodi superficie. Ob idque turrim semper descendam manere in eodem loco; tametsi singulis momentis muter superficies aeris ambientis cum ipsarum præsentis: quia semper est verum, manere circumdatam aliquā superficie immediata alicuius corporis continentis per aliquam præsentiam præsentem in hoc numero spatio locali, quod imaginariū appellant. Et è conuerso ob id aquam in vase inclusam mutare loca, dum vas mouetur; tametsi intra eamdem semper ultimam superficiem vase continetur: quia mutat spatia, quibus talis superficies per motum successuē fit præsens.

Tertia sententia potest eorum esse, qui 41 præsentiam, quam mobile per motum adquirit intrinsecam sibi, & inhærentem, iuxta dicta quæst. 1. locum intrinsecum appellant, quem modum loquendi probabilem reputant Tolet. lib. 4. Physic. quæst. 8. & Soar. disput. 51. Met. 42. 2.

Ego in hac quæstione de nomine arbitror 42 primō, spatiū locale satis congruē dici locum rei tali spatio correspondentis, sive illud quid reale, sive quid imaginariū esse dicatur, quo pacto explicatum est quæst. 2. Imo de facto iuxta vulgarem, communemque hominum conceptionem satis frequenter, ne dicam plerunque, venit haud dubie nomine loci intelligentia eiusmodi spatiū. Eius autem appellationis congruitas in eo stat, quod omnium conceptionis proprietates loci sunt, esse immobilem, esse æqualem locato, sive ei adæquari, acquiri per motum latioris, recipere in se locatum, &c. Quæ omnes iuncta in nullo alio conceptu ita proprie, ac in prædicto spatio reperi videntur. Secundò arbitror, bene etiam dici locum, extrinsecum tamen, quem Aristoteles definit. Tertiō, impropriū valde, & abusivē dici locum præsentiam intrinsecam rei locata; quia omnis res locata in suo loco dicitur esse, aut præsens esse, & tamē nulla vñquam res dicitur esse, aut præsens esse in sua intrinsecā præsentia. Quare, hac usurpatione loci relicta, iuxta alias duas duplex locus est distinguendus, quorum primus locus imaginariū; secundus verò locus realis distinctionis gratiā dicentur. Itaque spatiū, quod imaginariū appellant, aut spatiū locale, aut locus imaginariū dicitur deinceps: locus autem realis ille, quem definitiū Aristoteles, nimurū superficies immobilis ambientis immediate rem locatam. Quo fere modo etiam in imaginariū, & reale diuidimus tempus inferioris spatiū. quæst. 2.

Vnde colliges: qua ratione Cœlum omnium supremum, (quod veteres Philosophi primum mobile esse putabant, nos vero credimus, est)